

Petrus de Vinea

*Ep. I 23 (Inter cetera,
quae sollicitudinis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 23 (Inter cetera,
quae sollicitudinis...)*

1239

Fridericus, ut moneantur clerici, ut diuina celebrent tempore interdicti

1. Inter cetera, quae sollicitudinis nostrae cura cotidiana meditatione reuoluit, illud occurrit nostrae considerationi precipuum, qualiter uenerandus orthodoxae fidei nostrae cultus debito a nobis et nostris fidelibus affectu et deuota ueneratione colatur, ut, quo prae ceteris principibus mundi diuina dextera nostrum erigit altius solium, eo, per officiosae gratitudinis debitum, nostra et nostrorum ubique deuotio sibi soluat munera gratiarum.

2. Ex eo quidem potest regnantium felicitas augeri potissime et subditorum status seruari pacificus, si Regi regum grato deuotionis exempnio placeamus; nec scandali alicuius subreptione dampnabili cultus debet postponi uel intermitteri Dominicus, quia quo amplius humana scandala quandoque lasciuiunt, eo tempestatum Sedator esset deuotius exorandus.

3. Quare fidelitati tuae mandamus, quatenus omnibus prelati et clericis de iurisdictione tua in aliquo loco ydoneo conuocatis, presentibus fratribus Minoribus et Predicatoribus, per aliquem uirum sapientem, litteratum et facundum, facias eis diligenter exponi, quod nos, tamquam princeps catholicus et catholicae fidei ampliator, ardenti desiderio affectamus, quod prelati ecclesiarum, clerici, religiosi et seculares diuina officia publice in ecclesiis presentibus locorum indigenis ad illius laudem et gloriam celebrent, qui sacrosanctam Ecclesiam fundauit incommutabiliter supra petram.

4. Ex nostrae autem presentis exorationis oraculo, aliquibus celebrandi necessitas non inseritur: sciant tamen celebrare nolentes, quod, qui sui officii debitum exequi negligunt, temporalia bona per diuos Augustos

progenitores nostros pia ecclesiis largitate donata
faciemus, quamquam inuiti, ad nostrum demanium
reuocari.